

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Cursus studiorum monasticorum, sive series sublimium disciplinarium - Cod. Ettenheim-Münster 99-110

Tractatus ascetico-theologicus de religione s. de statu religioso -
Ettenheim-Münster 100

Cartier, Gallus

[S.l.], [18. Jahrh.]

Caput undecimum

[urn:nbn:de:bsz:31-110938](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-110938)

cique seculo invigilent.

Documentum.

Non alia de causa prohibet S. Pontifex, ne Religiosi habitum Religiosum deponant, nisi ut ius periculosum vagandi materia subtrahatur, Cap. 2. Ne Clerici. in 6. Ideo etiam Censuram à Religioso scriptam custodienda est, prout proximum diximus. Siquidem si extra cellam libenter vagetur, et cum Saecularibus conversetur, vix non seclitus evadit. Merito S. Basilii in suis Constitut. censuit evagationem non necessariam Religiosorum extra Castra esse Sathanae artificium ad ordinis et disciplinae subversionem. Hinc est, quod S. C. N. Benedictus cap. 66. Reg. velit, ut Monasterium ita construatur, quatenus omnia necessaria intra illud contineantur, ut non sit necessitas Monachis vagandi foras: quia omnino non expedit animabus eorum. Vetus enim et verum est SS. Patrum effatum est: Foris extra aquam positus moritur, Sic Monachus extra Castrum moras faciens facile corrumpitur. O quam esset jam optandum, ut quilibet Religiosus cum S. Hieronymo cum veritate dicere posset: Mihi oppidum carcer est, et solitudo! Cella nempe: paradisus! Qui enim se abstrahit à notis, appropinquabit illi Deus cum Angelis ejus, ait Gessen noster. Ah! quid acceptius vobis evenire potest, O Religioso anima! quam ut Dominus Summae Majestatis vobiscum intimam inest amicitiam ac familiaritatem? Dimittite igitur vana vanis, et claudite ostium super vos, ac in cubilibus vestris compingimini, et tunc veniet ad vos coelestis Sponsus vester. O qui nunquam transitoriam letitiam quæreret, qui nunquam cum mundo se occuparet, quam bonam conscientiam servaret! Manete itaque in cella vestra, quia nullibi inveniatis tantam pacem.

Capitulum Undecimum.

De Horis Canonicis.

Horae Canonicae Definiri possunt Breves publicae et vocales ex praescripto Canonum ab Ecclesiasticis personis nomine Ecclesiae certis horis persolvende.

Dicuntur 1^o Breves publica et vocales, ut distin-
 quantur à privatis et merè mentalibus. 2^o Ex
prescriptis Canonum; per quod etiam differunt ab iis,
 quas quilibet privatus potest eligere. 3^o Ab Ecle-
siasticis personis. Quia illa à eas totius Ecclesie nomi-
 ne recitandas ab ipsa Ecclesia deputata sunt et desti-
 nata. 4^o Nomine Ecclesie, eò quod sint preces pu-
 blicae, sive in choro à Canonibus, sive extra chorum
 et privatim à Clericis persolvantur. 5^o Certis
horis. Eae septem numerantur, non solum, quia
 septies in die laudem Deo dixit David, sed etiam ob sep-
 tem mysteria passionis Christi Jesu Domini nostri, jux-
 ta hos veteres versus:

Haec sunt septenis, propter quae psalimus, horis:

Matutina ligat Christum, qui crimina purgat.

Prima replet spiritus, causam dat Tertia mortis.

Sexta cuius natus, latus eius Nona bipartit.

Vespera deponit, tumultu Completa reponit.

4
 Igitur Breves haec publica dicuntur Hora Canonica;
 item Breviarium: Hora, quidem, quia, ut in defini-
 tione dictum, certis horis diurnis et nocturnis reci-
 tanda sunt. Canonica, tum quod Canonibus, sive,
 quod idem est, Ecclesiasticis legibus prescripta et
 determinata fuerint, tum etiam, quia Clerici, qui-
 bus praecipue eas persolvendi onus incumbit, sunt ii,
 quos passim Canonicos dicimus; eò quod, ut ait Yvo
 Carnotensis, Canonicarum regularum observationi
 ceteris artius se obstrinxerint; aut quod olim Eccl-
 esiae Canonici inscripti prebendam aut portulam reci-
 perent.

Dicuntur etiam Breviarium, 1^o Quia sunt quod-
 dam S. Scripturarum et SS. Patrum compendium.
 2^o Quia sunt longiorum precum, quae quondam
 in Ecclesia erant in usu, contractio; quae contractio
 inveniuntur saulo Decimo tertio primum facta prohibe-
 tur in Saeculo Romani Pontificis, et ob id preces,
 de quibus hic agitur, vocatae fuerunt Officium brevia-
 rium Curiae Romanae. Contractum ergo istud Offici-
 um per oppositionem ad veterem formam, quae pri-

is utabatur Ecclesia, Breviarium dicitur. Apud Nos Hora Canonica seu Officium, quod quotidie persolvimus, etiam nomine Breviarium venit; quamvis nunquam contrarium fuerit, sed ad Sacra Regula nostra prescriptum semper persolutum fuerit, et adhuc etiamnum persolvatur; unde et quantum ad Matutinum politius est Romanô. p.

Dea de Horis Canonis sic definitis et expositis nobis dicens a veniunt, novem sequentibus S.S. comprehendimus.

I. Primum.

Qualis et quarum personarum Ecclesiarum sit obligatio recitandi Horas Canonicas?

Communis et ista est Theologorum et Canonistarum sententia, ad recitandas Horas Canonicas sub mortali obligari certas personas Ecclesiasticas his tribus comprehensas titulis, Sacerdotis Ordinis, Beneficii Ecclesiastici, et Religionis Choro astrita.

Diximus i^o Sacerdotis Ordinis. Quo titulo non comprehenduntur Minoribus Ordinibus initiati; sed tantum in Majoribus constituti. Unde illi, etsi ex decentia ad majorem teneantur orationem quam Laici, nullo tamen jure vel consuetudine obligati sunt ad Horas Canonicas, aut etiam ad Officium B. V. Mariae, aut Psalmos aliquos, p. Imò ne quidem saltem sub gravi: ad illas preces, quas Episcopus illis in Ordinatione injungit; quia Episcopus non presumitur ipsis tantum onus imponere, sed nec forsitan potest; quia non adest sufficiens causa. Talia igitur imponuntur ex sola decentia in gratiarum actionem vel similem finem: quod etiam de omnibus aliis Ordinatis intelligendum est. Ita multi contra multos.

Ceterum Nota. Clericos in Majoribus constitutos ex nullo jure scripto ad privatam Horarum Canonicarum recitationem obligari sub gravi, sed probabilis dumtaxat ex universalissima et receptissima per totam Ecclesiam consuetudine. Nam Cap. i. de celebrat. Miss. quod possat adduci, tantum de Bres-

112.

byteris, fait mentionem.

191. Diximus 2^o. Beneficii Ecclesiastici. duo titulos veniunt omnes Beneficiati, sive Curati, ut sunt Episcopi, Abbates, Praepositi, Decani, Parochi, p. sive non Curati, ut Canonici, Vicarii, Capellani, aliique Beneficiarii. Quae de re quaedam veniunt explicanda et resolvenda.

5
51

1^o. Solutus titulus Beneficii sine possessione, et absque redditibus non obligat ad Horas Canonicas, recitandas. cum enim talis Beneficiatus sui Beneficii possessionem necdum teneat, neque fructus percipiat, non dicitur habere Beneficium secundum omnem effectum. Scius tamen dicendum esset, si sua culpa tali possessione frustraretur. Ita communiter Doctores.

192. 2^o. Tenentur tamen ad Horas Canonicas Beneficiati illi, qui, licet, sine sine sine cum culpa sua, non recipiant omnes suos fructus, recipiunt tamen partem, qua sufficit ad sustentationem.

193. 3^o. Fraterea tenentur ad eandem Horas ii, qui primo aut etiam secundo anno non recipiunt fructus, quia vel ii assignantur fabrica, et sic pro tota vita eidem satisfaciunt, vel impendantur pro Praedecessore mortuo, et sic et ipsi mortui eodem privilegio gaudebunt. Sunt tamen aliqui qui legant tales ad Horas teneri.

194. 4^o. Tenentur item ii, qui habent tenue Beneficium octo v. g. vel decem aureorum tantum; quia Iura non faciunt distinctionem inter Beneficium tenue et pingue. Aliqui tamen dicunt, quod, si tales habeant adeo tenue Beneficium, ut tertiam partem mediocri sustentationis alicujus Clerici non adaequet, non teneantur.

195. Dices. Si quis teneatur precise ratione tituli ad horas Canonicas, sequitur, quod, qui duo habent Beneficia, bis teneantur ad Horas Canonicas. falsum consequens. Ergo et antecedens.

Resp. neg. seq. maj. Quia videtur benigna esse Ecclesia intentio, ut multiplicatis Beneficiis solum multiplicentur tituli, ob quos debetur recitatio, et non ipsae recitationes officii; sicut Ordinatus omnibus Sacris Ordinibus, unum tantum de-

bet recitare Officium. Scius tamen dicendum fore, si esset injustus possessor, quia sic privat Ecclesiam Officium et Ministerio.

Diximus 3^o Religionis Choro adstricta. Quoti- 196.
tulo comprehenduntur omnes Religiosi, et Moniales, exceptis Novitiis et Conversis Laicis. Hae autem obligatio incipit ab hora emissionis professionis. Ceterum disputatur inter Doctores, an Religiosi Professi, si non recitant in choro, teneantur sub mortali ad privatam recitationem: Negant plures antiquiores; eo quod neque ex jure, neque ex professione, talis obligatio ostendi possit; affirmant vero longe plures, praesertim recentiores; quia, inquit, consuetudo rationabilis legitime praescripta obligat instar legis. Atqui apud Religiosos Professos est ejusmodi consuetudo recitandi Officium divinum privatim, si illud in choro non recitent. Ergo p. Hinc Reginaldus oppositam sententiam vocat temerariam.

197.

Aphorismi.

- I. Ad Horas Canonicas recitandas tenentur sub gravi Clerici in Majoribus Ordinibus constituti.
- II. Omnes Beneficiati.
- III. Si, qui sunt Religionis alicujus Choro adstricti.

§. Secundus.

De publica recitatione Horarum
Canonicarum.

In Ecclesiis Cathedralibus, Collegiatis, et Regularibus 198.
Horae Canonicae sub gravi publice recitanda sunt a personis ad id destinatis. Ita communis. Et patet tum ex recepta consuetudine, tum ex Jure Ecclesiastico id praecipiente Cap. Volentes. De celebrat. Miss.

Infertur 1^o Praelatos et Superiores Ecclesiarum 199.
in quibus est consuetudo Officium divinum publice recitandi, sub peccato mortali obligatos esse ad curandum, ut quotidie ita recitentur. Quod

Si Prælati, aut Superior suo muneri desit, tunc eade obligatio erit penes Subditos; Nam Superiore deficiente obligatio Officiorum Communitatis recidit in Subditos.

Ex quo

200. Infertur 2^o. Peccatum mortaliter Prælatum Ecclesie Choro addicta sive secularis illa sit, sive regularis, si ejus incuria aut conniventia omittatur etiam unica die Matutinum cum Laudibus, aut reliquis sex minoribus Hora. Ratio est; quia Clementina De celebrat. Miss. sub interminatione indignationis Divina et Apostolica præcipit Prælatis curam habere, ut convenienter et debite celebretur Divinum Officium diurnum pariter et nocturnum. Atque Matutinum et Laudes nocturnum, sex reliquis Hora vero diurnum Officium constituent. Ergo si alterutrum non celebratum clari permittant, incurrunt indignationem Divinam, p. Ex quo à contrario sequitur, non peccatum graviter Prælatum, quando semel una Hora ex Minoribus in Choro omitti ab ipso sine-retur; quia ob unius Hora neglectum nequit absolute diurnum Officium neglexisse dici.

201. Infertur 3^o. Nullum Religionum in particulari per se sub peccato mortali teneri ad Horas Canonicas cum aliis in Choro persolvendas. Ratio est; quia nec consuetudo, nec ulla lex insufficienter probat. Non consuetudo; quia in Religionibus non videtur cum tantâ obligatione recepta. Sed neque ulla lex; nam Clementina De celeb. Miss. quo ad huc solet, solum significat esse talem obligationem in Communitate.

202. Dices: Clerici Seculares ad Chorum deputati tenentur singuli sub mortali peccato interesse Horis Canonicis, p. Ergo etiam singuli Religiosi ad Chorum deputati.

Resp. neg. cons. Quia Clerici Seculares ad id obligantur ex justitia; siquidem bona Ecclesiastica propter ea percipiunt, ut in Choro proficiant. Hi

verò gaudent similibus bonis non præcisè, ut divinum officium publicè recitent, sed ut Deo serviant juxta exigentiam suæ Regulae.

Diximus per se p. Nam per accidens absentia Religi- 203.
giosi à Choro, ad quem est aliàs deputatus, potest esse mortalis. Ut 1^o. Si sit conjuncta cum contemptu saltem implicito, qualis præsumitur, si quis ut plurimum et quasi consuetudinariè se à Choro subtrahat. 2^o. Si sit causa scandali aliorum, quod plerumque fit. 3^o. Si illius causà Chorus grave damnum patiatur, aut omnino servari non possit. 4^o. Si Superior ob finem justum ad Chorum graviter obligaret.

Infertur 4^o. Nullam esse obligationem pfallen- 204.
di in Choro, ubi in Monasterio aliquo sunt adeò pauci Religiosi, ut vel quatuor saltem commode non possint convenire. Ratio est, quia licet tres imò duo sufficiant ad rigorem Chori, attamen verisimilius est, plures requiri ad constituendum Chorum ex obligatione, ut scilicet cum decora alternatim cantetur.

Diximus. Ut vel quatuor saltem commode non possint convenire. Nam si id fieri possit, peccat graviter Superior, saltem ratione scandali, si in satis numerosa communitate, v. g. viginti Religiosorum à paucioribus, quàm à quatuor vel quinque Horas Canonicas persolveri permittat.

Ceterum de Clericis Saecularibus ad Chorum de- 205.
putatis aliter sentiendum est: hos enim, etsi tres aut duo tantum essent, non fore deobligatos à publicà Horarum Canonicarum recitatione, communis est Doctorum sententia; quia hi, ob pactum saltem implicitè initum cum fundatoribus, ex justitià tenentur servare Chorum, quoties et quamdiu alternatio cantantium aliquà ratione servari potest. Undè etiam infertur, quòd graviter peccent ejusmodi Beneficiarii, si se à Choro absentent per notabile tempus,

110.

v.g. per quinque aut sex dies.

206. Quares, an recitatio Officii Divini seu Horarum
Canonicarum Debeat sub mortali peragi in Templis ad
hoc munus destinatis.

Resp. Affirmative quantum ad publicam recitationem;
quia id videtur esse mens non tantum Fundatorum, sed
etiam Ecclesia; Clement. i. De celebrat. Et quia id
ex antiquissima consuetudine receptum est. Exipi-
unt tamen Doctores, nisi adsit gravis necessitas, ut abbi
v.g. in Capitulo celebretur Officium.

Diximus, quoad publicam recitationem: Nam privata
recitatio submissè fieri potest, in quolibet loco, etiam
sordido, dummodo temerè et ex Delectu id non fiat, sed
tantum casu, et ex occasione. Ratio est; quia non
plus sordes corporales, quam munditiem curat Deus. Con-
sultum tamen est in his locis non orare vocaliter, sed po-
tius mentaliter.

207.

Aphorismi.

- I. In Ecclesiis Cathedralibus, Collegiatis, et Regularium,
Hora Canonica sub gravi publice recitari debent à per-
sonis ad id destinatis. *Hinc*
- II. Superiores Ecclesiarum hujusmodi sub gravi tenen-
tur ad curandum, ut quotidie Hora Canonica recitentur.
- III. Nulus tamen Religiosus in particulari per se sub
peccato mortali tenetur ad Horas Canonicas cum aliis
in choro persolvendas.

S. Tertius.

Quo tempore recitanda sint Hora Cano-
nica?

208. Dixerunt: In privata Horarum Canonicarum re-
citatione non est peccatum mortale anticipare
vel etiam differre absque causâ, dummodo totum
Officium absolvatur ante medium noctis sequen-
tis diei. Ita communis. Ratio est; quia mens
Ecclesia non est, ut statutum tempus sub gravi
peccato observari debeat. Exiipit tamen, nisi quis
ordinariè, aut consuetudinariè insolentiâ ita mu-
taret tempora absque ulâ causâ; sic enim esset
quidam contemptus, ac vilipensio interpretativa or-
dinationis Ecclesia; unde, qui taliter ageret, non

excusari à mortali peccatō videntur.

Diximus 2^o. Absque ullā rationabili causā quandoque transgredi notabiliter statuta tempora est veniale cōmissus, quō longius receditur à prefixō tempore. Est communis. Ratio est; quia committitur quoddam inobedientis peccatum per transgressionem Statuti Eclesiæ.

Occurrunt itaque venialiter, et quidem crasse, qui differunt Matutinum, p. usque ad meridiem; imò, quod peius adhuc est, usque ad seram noctem, et vicissim qui Vesperas aut Completorium ante meridiem persolvunt.

Diximus 1^o. Absque rationabili causā. Nam si fiat ex justā causā: qualis etiam est devotio, aut commoditas studentis: nullum est peccatum. Satis tamen est anticipare, quàm differre justā illud Hugonis à S. Victore: ante horam orare providentia est, post horam negligentia, in horā obedientia.

Diximus 2^o. Notabiliter. Nam Dilatio et anticipatio moderata, ut, si quis cum Primā legat seu orat Tertiam, Sextam, et Nonam videtur ab omni noxō immunis.

Quamvis autem nulla Hora possit differri ultra 209. mediam noctem, Matutinum tamen et Laudes possunt anticipari, et dici pridie sub vesperam, ut patet ex consuetudine. Quā horā autem

id liceat, sequens dabit Tabella, quæ prodit Roma an. 1706. Typis Censuræ Apostolicæ.

- 2^a Januarii, hora 2^a cum quadrante.
 15^a Februarii, Medio 3^a
 1^a Martii, hora 2^a cum tertio quadrante.
 20^a Aprilis, medio 4^a
 10^a Maji, hora 3^a cum quadrante.
 8^a Junii, hora 4^a
 1^a Augusti, hora 3^a cum tertio quadrante.
 21^a Augusti, medio 4^a
 7^a Septembris, hora tertiā cum quadrante.
 24^a Septembris, hora 3^{trā}.

118. 11^a Octobris, hora 2^{da} cum tertio quadrante.
20^a Octobris, Medio 3^{tia}
18^a Novembris, hora 2^{da} cum quadrante.
15^a Decembris, hora 2^{da}

210. Quæres 1^o Inale sit peccatum, si absque causâ Matutinum sequentis diei ante absolutum Officium presentis diei persolvatur?

Resp. Veniale tantum; quia saltem agitur contra ordinationem Ecclesie, quæ vult, ut prius absolvatur obligatio unius diei, quam inchoetur obligatio alterius.

Ceterum omnis justa causa, quæ sufficere potest ad inversionem ordinis inter horas unius diei: de quibus S. S. agemus: / etiam hæc sufficere videtur aliquibus.

211. Quæres 2^o An peccet Sacerdos, qui in Quadragesimâ Vesperas privatim post prandium recitat?

Resp. negativè. Quia hæc dicuntur hora magis competenti; imò congruentius videtur nunc ita fieri.

Dices. Rubrica prescribit, ut ante prandium Vesperæ dicantur. Ergo p.

Resp. Ita esse, sed ex suppositione, si circa Solis occasum prandear, vel potius coenes; quod verò possim jam in choro ante prandium dicantur, fit idcirco, ut saltem meminerimus esse tempus jejuniæ; et ut extet memoria primæ Majorum nostrorum pietatis, quibus non nisi ad Vesperam se se reficere in diebus jejuniæ vitatum erat. Hæc itaque Rubrica non est recepta nisi pro choro.

212. Quæres 3^o An celebrans Missam ante recitatum Matutinum peccet mortaliter?

Resp. negativè contra antiquiores; quia ubi non est lex ibi nec prævaricatio; nullâ autem lege sancitum invenitur sub mortali celebrandi Missam ante Matutinum. Multi quidem censent id à veniali vix posse excusare: at tamen dicunt alii id non fore veniale, si adsit justa causa; quia quod ex justâ causâ fit, prudenter fieri dicitur.

Dices. Hoc est contra Rubricas. Resp. illas loqui de Missis Conventualibus, iis præsertim, quæ persolvuntur à Canonicis, quæ secundum probabiliorem sen-

tantiam sub mortali celebranda non sunt ante Matutinum.

Quaerit 4^o. An qui ratione infirmitatis aut alterius impedimenti legitimi nequit aliquam horam tempore debito v. g. Vesperas post, et alias horas ante meridiem recitare, teneatur praevenire, aut vesperi omnes orare?

Resp. Affirmative cum communiori contra alios; quia major haberi debet ratio substantiae divini operis, quod pro qualibet die sub gravi obligat, quam eius circumstantiae, cui facile potest contraveniri.

Aphorismi.

214.

I. Licet non sit mortale peccatum notabiliter transgredi statuta tempora quoad privatam horarum canonicarum recitationem, à veniali tamen excusari non debet, qui id absque iusta causa facit.

II. Qui celebrat Missam ante recitatum Matutinum, non tantum non peccat mortaliter, sed neque venialiter, si adsit rationabilis causa.

§. Quartus.

Qualis integritas materia servanda sit in recitandis Horis Canonicis?

Conclusio 1^a.

215.

Hora Canonica sub mortali recitanda sunt integra, id est, nihil notabile omittende. Est Communis.

Prob. Quia transgressio notabilis partis preceptorum, quae obligant sub mortali, est notabilis prevaricatio, et consequenter gravis. Atqui Hora Canonica obligant sub gravi, ut iam ostendimus. Ergo transgressio, seu ommissio partis earum notabilis erit mortalis. At difficultas, iam oritur quanam earum pars censeatur notabilis? Sit

Conclusio 2^a.

216.

Partis notabilis Horarum Canonicarum, et cujus ommissio sufficit ad mortale peccatum rectè statuitur una hora minor, vel alia pars aequivalens. Ita Communis.

Prob. Quia licet una hora minor respectu totius officii non videatur esse pars notabilis, tamen secundum se sumpta, et spectato fine Ecclesiae, quae voluit, ut statutis diei horis Deo peculiaris cultus exhibeatur, omnino gravis censeari debet. Ex quo hinc inviden-

P.P.
65

ter

Inferitur, quod ille, qui non tantum unam Horam Canonicam, sed etiam omnes, seu totum Officium omittit, licet unicum peccatum committat, at tamen id explicare debeat in Confessione; nam adest circumstantia notabiliter aggravans.

Diximus in Conclusionem, vel alia pars aequivalens. Unde lethalis noxa damnant aliqui omittentem integrum nocturnum; aut quatuor Psalmos Congregatos, aut unius nocturni lectiones cum suis Responsoriis, aut interruptim per totum Officium, quantum sufficit ad parvam Horam integram. Unde qui male recitat Synopando, et contrahendo Syllabas, deglutendo dictiones, inchoando suos versus, antequam alter, cum quo recitat, suos absolvat, non videtur Satisfacere precepto, nisi parvas materia, aut consuetudo quodammodo in naturam verba exuset.

217. Dices 1^o. Sic omittere totas Vesperas Sabbato Sancto erit peccatum lethale, quod durum videtur.

Resp. Communiter censeri mortale non ob quantitatem, sed qualitatem; quia continent magnum mysterium. Verum contrarium tenent aliqui, eo quod sit nimis exigua partis omissio pars.

Dices 2^o. Si quis modicam tantum partem unius parvae Horae recitet v. g. haec verba, Deus in adiutorium meum intende, cetera omittens non peccabit mortaliter; quia non omisit totam integram Horam.

Resp. neg. assumpt. Quia adeo parum pro nihilo reputatur; aliud tamen esset, si saltem unum Psalmum addidisset.

218. Quaeres 1^o. Si Clericus vel Religiosus tarde ad Chorum veniat, an teneatur postea repetere, quod jam ibi fuerat inchoatum?

Resp. teneri eum, si in eo jam multum processum fuerit; si vero parum v. g. in Matutino per unum aut duos Psalmos dumtaxat processum sit, tunc probabile est, eum repetere illos non teneri; quia sicut in auditione Missae, ita etiam in Officio Canonico omissio modici aestimari non solet, praesertim cum

122.

Resp. Probabilius eum non satisfacere, nisi partem alterius Chori saltem confuse percipiat; quia sic non recitat totum officium, sed tantum mediam partem officii. At alii sine hesitatione pronuntiant eum satisfacere, si attendat, quantum moraliter valet, licet propter socii, vel alterius Chori defectum nihil percipiat. Ratio est; quia hoc modo prestat id, quod potest, atque per debitam recitationem sua partis et attentionem ad alteram partem, ejus orationem, vel recitationem sibi satis communem facit. Tutius tamen arbitramur primam sequi opinionem.

222. Ineres 5.º An sit obligatio recitandi in choro officium B.V. Mariae, Defunctorum, Psalmos poenitentiales illis diebus, quibus illorum recitatio annotatur?

Resp. negativè respectu eorum, qui utuntur Breviario Romano; nam Sixus V. in sua Bulla, qua huic Breviario praefixa est, hanc sustulit obligationem.

Verum quantum ad illos, qui non utuntur Breviario Romano, spectanda sunt locorum consuetudines; quia circa easdem nihil immutavit Pontifex, sed potius voluit, ut serventur, saltem quoad officium B.V. Mariae.

Ceterum observa, extra Chorum nullam esse dictarum precum obligationem. Probabilius tamen officium Defunctorum in die Commemorationis omnium Defunctorum, Litanis in diebus Rogationum et S. Marci, cadunt sub obligationem; quia videntur esse pars officii; quod tamen alii certè minus probabiliter negant.

223.

Aphorismi.

I. Hora Canonica sub mortali peccato sunt integra recitanda, nihil notabile scilicet omitteudo.

II. Est autem pars notabilis seu sufficiens ad mortale peccatum, una Hora Canonica minor, vel alia pars aequivalens.

S. Quintus.
 Quo Breviario utendum, et quale Offici-
 um recitandum sit?

Conclusio prima.

224.

Omnes Ecclesiastici ad Horas Canonicas recitan-
 das obligati, in iure novo tenentur recitare Horas
 Canonicas secundum formam Romani Brevia-
 rii à Pio V. editi, et à Clemente VIII. reformati,
 exceptis Ecclesiis vel Monasteriis, quae à 200. annis
 usa fuerunt alio. Ita expresse statuitur in
 Bulla ejusdem Pii V. edita an. 1568. Unde

Inferes 1^o Mortaliter peccare eum, qui adstric-
 tus est Breviario Romano, si vel semel recitat
 Horas, iuxta aliud Breviarium quam Romanum.

2^o Eum non teneri recitare iuxta aliud, v. g. Mo-
 nasticum, si suo Romano careat; quia per aliud
 satisfacere non potest, ut habetur in dicta Bulla.

3^o Probabile tamen est, Religiosos adstrictos
 proprio Breviario posse privatim recitare Horas
 Canonicas ex Breviario Romano; tum quia Bul-
 la expresse loquitur de Choro dumtaxat; tum
 quia privilegium utimur, quando volumus. Ita
 multi; atque id vel maxime locum habere posse
 ipsis videtur, quantum ad Monachos, qui in
 aliqua Academia versantur, in qua usus Bre-
 viarii Romani viget. Hoc tamen contra Na-
 varrum et alios caveatur, ne ex Romano Ma-
 tutinum, ex proprio vero v. g. Monastico alio ho-
 re recitentur; nam haec commixtio, omnino,
 quod in fraudem legis fieri videatur, efficit aliam
 formulam.

Conclusio 2^a.

225.

Probabilis est, non esse peccatum mortale,
 sed tantum veniale, si aliquoties per annum
 sine rationabili causa unum Officium recite-
 tur pro alio. Ita Communior. Ratio est;

3
 67

quia tunc non violatur forma Substantialis à Piō V. præscripta, sed tantum accidentalis, quam non constat graviter esse intentam.

Confirm. Lucia in Bullâ præfixâ Missali correcto mandat idem Pontifex in virtute Obedientia, ut Missæ dicantur secundum formam, ritum, ac modum in Missali descriptum; et tamen nemo peccati mortalis arguet eum, qui celebrat de feriâ, quando celebrandum esset de festo simplici, Semiduplici, imò et, iuxta communem, Duplici.

Diximus 1.^o Aliquoties; nam si ad libitum possum, et quasi perpetuo id fieret, tunc talis mutatio non esset excusanda à mortali, utpotè conjuncta cum implicito contemptu.

Diximus 2.^o Absque rationabili causâ. Nam si recitatio unius officii pro alio ex justâ et rationabili causâ fiat, vacabit culpa etiam veniali. Ratio est; quia secundum regulam à Doctoribus traditam quando Ecclesia aliquid prohibet solum sub veniali, qualibet honesta causa sufficit ad evadendum omnem culpam agendo contra illam prohibitionem. Hujusmodi autem rationabiles causas sequentes enumerari possunt, impotentia aliqua vel notabilis difficultas, conformitas, Societas, inculpabilis error, &c.

220. Sed quid, si quis per errorem incipit recitare Officium alterius diei, et post aliquot jam recitatas horas errorem advertit?

Resp. Sufficere, si errorem corrigat in Horis, que restant, et non requiri, ut recitata hora repetantur, dummodo subiiciatur commemoratio de festo, de quo secundum Rubricas recitandum erat Officium. Imò docent aliqui probabiliter esse, eum, qui per errorem hodie v.g. recitavit de Sancto diei crastina, debere cras iterum recitare idem Officium de eodem Sancto, ne licet bis erret, et Officium mutet. Plures alii casus huc pertinentes videri possunt apud Authores, qui de hac materia tractant.

125.
Ceterum ad tollendos scrupulos consultum videtur, imò
forte necessarium, ut qui unum Officium recitavit pro
alio notabiliter longiori proportionaliter pro Supplemen-
to defectus aliquos Psalmos superaddat: nam licet pars
notabilis in Officiis omissa sub mortali suppleri debet,
sic etiam, qui recitat Officium breve pro alio notabili-
ter longiori, quia videtur respectivè partem notabilem
omittere, illam suppleri debet.

Dices, Alexander VII. hanc propositionem damnavit, 227.
In die Balnearum recitans Officium Baschale satisfait
praecepto. Ergò non est licita mutatio unius Officii pro
alio.

Resp. neg. cons. Ideò enim haec propositio damnata
est, quia nimis ridicula et deformis est haec mutatio,
censeturque facta in fraudem divini cultus huic ce-
lebritati debiti. Undè etiam ob eandem rationem

Inferas. Mutare Officia Pentecostes ac Nativitatis
Domini in alia esse peccatum mortale.

Aphorismi.

228.
I. Adstrictus Breviario Romano, si ex Monastico Horas
suas Canonicas recitaverit, peccat mortaliter.
II. At è contra Monastico Breviario adstrictus proba-
biliter ex Romano Breviario recitare poterit eandem,
praesertim si adrit justa causa.
III. Non debet argui peccati mortalis, qui aliquoties
per annum unum Officium recitat pro alio.

§. Sextus.

De inversione ordinis Horarum Canoniarum,
et illarum interruptione.

Conclusio prima.

229.
Extra Chorum Horas Canonicas et partes earum
transponere absque rationabili causâ, non est
mortale, sed veniale tantum. Ita communis.

Prob. Quia talis ordinis inversio de substantiâ di-
vini Officii nihil immittit. Ergò non potest esse
mortaliter mala; quia tamen quandam defor-
mitatem continet, idè merito prohibita cense-
tur sub veniali.

Diximus, absque rationabili causâ. Nam si id
fiat ex rationabili causâ scilicet vel necessita-

120.

tis, vel utilitatis, aut charitatis, omnikulpa vacabit ob regulam priori S. datam. Hinc

Resolves, 1^o. Si in itinere, vel alia, Breviarium ad manus non habeas, habes autem Diurnale continens Psalterium, licet etiam Nocturnum, vel Nocturnorum Psalmos cum antiphonis, ac etiam ceteris horis sequentibus, lectiones lecturus postea Domini, vel in diversorio. Ita communis. Idem est, si commemorationes, propriae lectiones de festo ad manus non sint. 2^o. Si venias ad Chorum, ubi prima v.g. recitatur, recite cum eo idam recitabis, etsi Matutinum nondum persolveris. 3^o. Si rogaris ab aliquo, qui sit alicujus auctoritatis, ut cum eo Horas minores recites, poteris etiam necdum dicto Matutino.

Conclusio 2^a.

230.

Horam Canonicam ineptam interrompere absque rationabili causa etiam notabiliter per multas horas, tantum est per se veniale. Ita communis.

Prob. Quia Singuli Psalmi per se laudem Dei continent, nec habent necessariam connexionem, sed tantum accidentalem, scilicet ex ordinatione Ecclesiae.

Diximus demum, absque rationabili causa. Nam accidentibus precedentibus causis, scilicet utilitatis, necessitatis ac charitatis, etiam levis culpa facile vitabitur in non nimia interruptione alicujus Hora, Deo tuo fragilitati condescendente. Consilium tamen est, si facta sit notabilis interruptio, ut de novo incipiatur aut ille Nocturnus, in quo facta est, aut saltem Psalmus vel Lectio, quorum alterutrum interrupisti.

Ceterum nota, Reparationem unius Nocturni ab altero, etiam absque causa, nullam

127.
continere culpam censent nonnulli; Saltem hoc cer-
tum est, quod ex causâ dividi possunt etiam aliquot
horis interjectis; quia quilibet Nocturnus ejusque
partes, videlicet Psalmi, lectiones, ps. habent su-
am completam significationem distinctam ab
altero Nocturno.

Dices 1^o. S. Ludgerus Episcopus Monasteriensis ter ad 231.
Carolus Magnum auresitus noluit comparere, do-
nec Horas Canonicas absolvisset, ob metum irreve-
rentia; siquidem causatus est se cum majore Do-
minò agere.

Resp. Hoc et alia Similia Sanctorum facta sunt
admiranda, atque etiam pro posse imitanda; sed
nullam inducunt obligationem, solum invitant
ad imitationem.

Dices 2^o. Ex Concilio Toletano VII. Cap. Nihil. 7. 232.
q. i. ubi postquam dictum est de Missâ perfici-
endâ per alium Episcopum, vel Sacerdotem, si
forte morbus invidat inopinatò priori celebran-
ti; additur, quod nullus Minister aut Sacerdos,
postquam inceperit Divina Officia, presumat illa
relinquere imperfecta sub poenâ excommunica-
tionis, ps.

5/59
Resp. Ibi sermonem tantum esse de Officiò al-
taris, quod patet ex eo, quod velit partem coepti Offi-
cii suppleri ab alio: Officium siquidem Canonicum
nec solet, nec debet ab alio suppleri.

(Aphorismi.

233.
I. Veniale tantum est, si quis Horas et partes ea-
rum absque rationabili causâ transponat.
II. Ita pariter tantum veniale erit, si quis Horas
Canonicas inceptas etiam per notabile tem-
pus absque justâ causâ interrumpat.

S. Septimus.

De attentione ad Horas Canonicas.

Invat Statim initiò audire Innocentium III. 234.
Cap. Dolentes. De celeb. Miss. sic Statuentem:
Districte præcipimus in virtute obedientia,

ut Divinum Officium nocturnum pariter et diurnum, quan-
tum eis debent Deo Studiosè celebrent pariter et Devotè.
ubi duobus illis adverbis, Studiosè scilicet et Devotè, to-
tum horas Canonicas recitandi modum comprehendit; ni-
mirum ut recitentur integrè, sine interruptione; ordi-
natè, scilicet tempore profinò, p. de quibus jam supra
differimus. Item cum debità intentione et atten-
tione. Duo ad intentionem

255. Nota 1^o. Non esse necesse, ut sit expressa et forma-
lis, sed sufficit, si sit habitualis et implicita, qualem
ide censetur habere, qui petit vel accipit Brevia-
rium cum expressò proposito recitandi, ut debet,
vel animò deliberatò capit Breviarium et ad Ecle-
siam vadit, vel simile quid facit, ita ut interrogatus,
quare id faciat, verè responderet, se id facere ad
recitandum vel satisfaciendum obligationi.

256. Nota 2^o. Quòd, qui peragunt Divinum Officium,
suntque Choro adstricti, habere debeant intentio-
nem saltem habitualem illud pro Ecclesià cum po-
pulo Deo offerendi; unde non possunt pro libitu
illud offerre pro se ipsis, aut pro alio particulari;
nam sunt Legati populi fidelis ac Ecclesiæ. Ergo
non tantum unius, sed totius Communitatis cau-
sam agere debent. Deinde in hoc differt ora-
tio publica à privata, quòd illa totius Ecclesiæ
nomine pro communi salute per publicos Minis-
tros, et plurimum in loco publicò fundatur; hæc
verò pro se vel pro alio privato peragatur; seu
tamen faciens à mortali videtur excusari.

Ceterum videtur certum, posse tunc licitè et
laudabiliter aliquem sibi vel alteri applicare
fructus accidentales ex speciali suà devotione, vel
difficultate habità, in Divinò Officiò obviantes,
v.g. molestias corporis, extraordinarium favorem
obedientie, ac justitiae actus; item fructum satis-
factorium totius Officii; de quo tamen disenti-
unt aliqui.

257. Sed major difficultas est de attentione. ante
cujus resolutionem sciendum

129.
1^o. Attentio est advertentia ad id quod dicitur aut fit. Pertinet ad facultatem intellectus, seu, ut ajunt, ad potentiam cognoscitivam. Intentio autem, de qua proximum egimus, ad facultatem voluntatis, seu potentiam appetitivam.

Attentio generaliter duplex est, externa videlicet, et interna. Illa est, quae quis exterius ita se habet, ut in eo nihil sit repugnans attentioni interna. Haec vero est, quae animo et mente attenditur id, quod exterius agitur.

2^o. Attentio interna est triplex. 1^a est attentio ad verba tantum, ut scilicet ea recte, distincte, et reverenter proferantur; et dicitur attentio superficialis. 2^a. Attentio ad sensum verborum, ut nempe ea animo et mente percipiantur; et vocatur attentio litteralis. 3^a. Attentio ad Deum, ut quis, cum recitat, cogitat de Deo, aliove mysterio; aut saltem de re seu gratia, quam a Deo petit, et haec nuncupatur attentio spiritualis, estque omnium pretantissima. His praenotatis sit

Conclusio prima.

238.

Ad satisfaciendum obligationi in recitatione Horarum Canoniarum requiritur attentio externa. Est certa; hanc enim ut minimum requirit Devotio ab Innocentio III. in virtute obedientiae praecipita.

6 Prob. Quia qui vult occupationem externam incomprohibibilem cum attentione interna, non orat, nec Deo exhibet cultum, quod tamen hic praecipitur. Unde qui pingendo, ludendo, scribendo, fabulationes audiendo, comedias spectando, et plerumque alias actiones exercendo Horas Canonicas recitat, non satisfait praecipito.

Conclusio secunda.

239.

Non satis tuta nobis videtur opinio eorum, qui docent, nullam requiri attentionem internam sub gravi peccato in recitandis Horis Canonicis.

Prob. Quia Ecclesia, cum praecipit officium Horarium, praecipit actum orationis: non est

autem Oratio, sed munda et inanis vociferatio, ubi nulla est mentis attentio, seu in Deum elevatio.

Gravesque quemadmodum Ecclesia praecipiens Sacramentalem confessionem, concomitantem etiam praecipit internum animi dolorem, sine quo non esset vera confessio, ita etiam praecipiens orationem, concomitantem praecipit animi seu mentis elevationem ad Deum, sine qua non est vera Oratio.

Denique laudatus Innocentius III. loc. cit. Dissert. ait: Districte praecipimus in virtute obedientiae, ut Divinum Officium nocturnum pariter ac diurnum, quantum Deus dederit, studiosè celebratur pariter ac devotè. En, quam manifestè S. Pontifex sub gravi requirat attentionem internam.

240. Neque dicas cum Bannovitanis et aliis Canonistis, per illa S. Pontificis verba solum praecipitur intentio-nem et actum externum Religionis, eò quòd in laudato Cap. Volentes. agat contra illos, qui in Choro sub Officiò fabulabantur. Nam quis adeò habetis sit ingenii, ut non videat, quòd per illa verba non solum intentio, non solum actus externus Religionis, non solum cessatio à confabulationibus, sed aliquid plus praecipitur, quid enim aliud important haec verba: quantum Deus dederit, studiosè et devotè celebrent, quam internam attentionem? Nunquid Deus dat seu inspirat, ut aliquis suas horas Canonicas resolvat cum voluntarià distractione, quae esse nequit sine peccatò veniali, ut ipsimet fatentur Adversarii? Nunquid devotio, quae, cum sit virtus, opponitur peccatò, potest cum illo conjungi?

241. Neque veras, ad essentiam orationis non requiri attentionem internam, eò quòd formula Extrema Unctionis e.g. essentialiter sit vera oratio secundum Omnes, quin tamen ad valorem illius formae et Sacramenti usus hactenus requisiverit attentionem Ministri.

Nam etsi id concederemus, per illud tamen minimè probatur, quòd S. Pontifex attentionem inter-

nam in persolvendo Officio divino non proceperit; nā non solum vox Devotē pertinet ad officium mentis, ut notavit glossa; sed etiam ista verba, Quantum Deus dederit: quibus verbis sanè denotatur divinum auxilium ad superandam quandam difficultatem, quæ certè non reperitur in oratione peractā cum voluntariā distractione; quid enim tam imperfectā oratione facilius? Sed potius reperitur in oratione sine distractione peragenda; et hoc est profectò, quod S. Pontifex voluit, ut scilicet Horas Canonicas sine distractione, seu cum debitā attentione, saltem quantum Deus dederit, persolvamus.

Advertendum tamen, quod etiam iudem Autho- 242
res, qui timentur, non esse mortale peccatum cum voluntariā distractione Horas Canonicas recitare, unanimiter asserant, talem recitationem non vacare à peccato veniali propter irreverentiam, quæ Deo inrogatur. Nihil aliud, dum psallitis, quam quod psallitis, cogitatis, ait S. Bernardus hom. 48. super Cant. Spiritus enim sanctus in illā horā gratum non recipit, quidquid aliud, quam debes, neglecto illo, quod debes, obtuleris. Et profectò si reverentia, quam subditi suo debent Principi, omnino exigit, ut dum apud eum fundunt preces, attenti sint ad ea, quæ proferunt, nec subito ut, cum famulis alia negotia tractaturi, se se à conspectu ejus proripiant; quanto magis id à nobis exigit Deus. Hinc est, quod apud Prophetam adversus tales oratores conqueratur: Hic populus labris me honorat, cor autem eorum longè est à me.

Aphorismi.

243.

- I. Quisquis Horas Canonicas recitare tenetur, attentionem saltem externam habeat, necesse est.
- II. Meritò improbanda est opinio eorum, qui docent, nullam requirere gravi attentionem internam in recitandis Horis Canonicis.

De causis excusantibus à recitatione
Horarum Canoniarum.

244. Prima causa est infirmitas gravis, v.g. dolor notabilis capitis, ita, ut sine incommotō vel inveniētō morbi legi aut recitari haud possint. Ratio est; quia non videtur credibile Matrem nostram Ecclesiam cum tantā severitate penam Horarum Canoniarum exigere. Diximus gravis; quia levis dolor v.g. Stomachi, vel aliquando febris tertiana aut quartana non excusat, cum totā die non affligat.

Quando dubium oritur, an recitatio Horarum Canoniarum sit notabiliter obfutura sanitati nec ne? Standum est iudiciō Medici, vel alterius viri prudentis et experti, maximè Superioris.

At, inquis, Medicus fortè est Aetholius, habens Horas nostras Canonicas pro superstitione, p. Sed nihil interest; quia docet experientia, plerisque solere respondere abstrahendo à Religione.

Quòd si Medicus ipse Determinare nequeat, nec adsit Superior, qui in tali dubiō dispensare possit, tūque verè malè habeas, et pejora formides, iudicare poteris te non esse obligatum ad recitationem; quia nemo tenetur se exponere periculo gravis alicuius Damni.

245. Secunda Causa est gravis occupatio, qua sine Scandalō aut Detrimentō sui aut proximi differri non potest. Hinc Confessarii et Concionatores aliquando excusari possunt ab Horarum Canoniarum recitatione, idque ex benignā Ecclesiae intentione. Tenentur tamen anticipare si possint, nimirum mane recitando p.

246. Tertia causa est impotentia, ut coeitas ex toto vel ex parte, ita, ut quis legere non possit. Item carentia Breviarii. Ratio est; quia impossibile nulla est obligatio.

Quòd si partem officii memoriter scias, teneris idam dicere. Equidem nonnulli contrarium sentiunt, timenturque, quòd ille, qui non potest maiorem officii partem recitare, non te-

neatur ad aliam eius partem; verum hoc videtur ab Innocentio XI. proscriptum, dum hanc propositionem num. 54. damnavit: Qui non potest recitare Matutinum et laudes, potest autem reliquas horas, ad nihil tenetur, quia pars major trahit minorem.

Dices 1^o. Memoria beneficium se habet sicut privilegium. atque nemo tenetur uti privilegio. Ergo. 247.

Resp. Trans. Maj. et Dist. min. Nemo tenetur uti privilegio, si non sit medium necessarium ad implementationem precepti, cons. Secus, neg. min. et cons.

Dices 2^o. Coeus est per se excusatus, tenentitas autem memoria se tantum habet per accidens. Ergo p. 248.

6 Resp. neg. quod coeus sit per se et absolute excusatus, sed tantum ex supposito, quod ipsi media desint ad recitationem horarum; unde si eadem memoriter calleat, jam ex hac parte medium sufficiens ipsi non deest.

Quarta causa excusans est dispensatio. 60. 249.

test autem dispensare 1^o Summus Pontifex, etiam cum Beneficiato, qui tamen, ut tutus sit, in conscientia, cavere debet, ne eius Supplex libellus falsam causam alleget; siquidem in Papa descriptis ad hujusmodi libellos supplices semper solet hac apponi clausula: Si preces veritate nitantur.

2^o. Dispensare possunt Episcopi et Abbates cum suis subditis, at non per se, et jure ordinario, sed tantum per accidens, et potestate sibi tantum delegata, quando adest justa causa. Si sermo sit de religionis Choro adiectis, sed ne dum sacros Ordines habentibus, tunc Oratores facile cum eis dispensare potest ob privilegium ab Eugenio IV. Benedictinis concessum. Aphorismi.

Causa excusantes a recitatione horarum Canoniarum sunt 1^o gravis morbus. 2^o Summi momenti occupatio. 3^o Impotentia. 4^o Dispensatio.

134.

251.

S. Novus.

De restitutione ex omissione Officii
Divini faciendâ.

In utilitatem et commodum eorum Religio-
sorum, qui Clericorum Secularium confessiones
excipiunt, aut suo tempore excipere poterunt,
hic pauca de restitutione ex omissione Officii
Divini seu recitationis Horarum Canoniarum
faciendâ attinere placeat. Sit igitur

Conclusio.

252. Clerici Beneficiati tenentur restituere fru-
tus pro ratâ omissionis Horarum Canoniarum,
si elapsâ Semestri post adeptam Beneficii posses-
sionem Officium Divinum culpabiliter non reci-
taverint.

Prob. Quia hæc poena expressis verbis Decreta
est in Concilio Lateranensi sub Leone X. Cumque
postmodum debitaretur, an hoc esset usu re-
ceptum, idem Sixtus V. editâ Bullâ Decretum is-
tud Lateranensis Concilii confirmavit, et Decla-
ravit, quod, qui uno die totum Divinum Offici-
um omiserit, teneatur ad restitutionem omni-
um fructuum illi diei correspondentium. Un-
de si aliquis Canonicus v. g. accipiat annuatim
369. aureos, teneatur pro uno die, quo totum Offi-
cium omiserit, restituere aureum unum; si
sex minores Horas, medium; si verò tantum
Matutinum, etiam medium aureum; si au-
tem solum unam ex minoribus Horis, sextam
partem aurei restituere debet.

Diximus 1^o. Elapsâ Semestri; nam qui ante
elapsos sex menses post obtentam Beneficii
possessionem omittit Officium, non tenetur
intra illud tempus aliquid restituere. Ita ha-
betur in laudatâ Lateranensi Concilio.

Diximus 2^o. Culpabiliter. Nam ubi nulla est
culpa, ibi in conscientia non debetur poena.

Dices. Ergo qui per ebrietatem sibi infirmita-
tem aliquam accessivit, ob quam nequit orare,

tenebitur ad restitutionem; est enim in culpa,
Resp. neg. Nam licet sit in culpa quoad infirmi-
tatem, non tamen est in culpa quoad omissionem;
cum adsit legitimum impedimentum, scilicet in-
firmitas.

Nota tamen, quod qui alia onera habent proter
recitationis officii divini seu horarum Canoni-
carum obligationem, quales sunt v.g. Episcopi,
Presbiteri, Parochi, non mittant Horas Canonicas,
vix ad aliquam restitutionem teneri nonnullis
Doctoribus videantur; quia inquit, Baro-
chus v.g. p. idem de Episcopo dicendum; longe alia
onera sustinere debet; dignus vero est opera-
rius mercede sua et sustentatione. Barochus
igitur mittens Horas Canonicas, licet peccet
contra obligationem S. Ordinis, et Religionis
virtutem, attamen non contra justitiam, at-
que adeo non obligatur ad restitutionem; nam
Beneficium Parochiale non datur primario
ob recitationem horarum Canonicarum, sed prin-
cipaliter ob Beneficium cura animarum. Ita
quidem illi; verum haec opinio nec nobis, nec
aliis placet.

Forma haec restitutio fieri potest vel pauperi-
bus amicis, vel aliis. Item impendi potest in
fabricam domus, vel meliorationem agrorum
p. Beneficii ipsius, quia haec etiam nomine
fabricae intaliquantur. Item compensari po-
test haec omisio per preces ac suffragia pro
defunctis; quia animae in purgatorio sunt ma-
ximè indigentes. Imò elemosyna satisfacit
pro restitutione, quamvis non sit inten-
ta pro debito exolvendo, modo datur post illam
omissionem.

Ceterum rejicienda est opinio eorum, qui vo-
lunt geminatam postmodum recitatione officii,
toties quoties omisum est, satisfieri.

P Q
73

Quod si quis pecuniam, quam ob omnium officium
divinum restituere obligatur, in alios usus pios im-
pendat, quam in pauperes, vel fabricam Beneficii,
is non satisfait sua obligationi; quia in Concilio
Lateranensi V. necnon Bulla huiusmodi V. laudatis expresse
praecipitur restitutionem faciendam esse pauperibus,
vel fabrica Beneficii. Scius nihilominus dicendum
videtur, si aliud ferat consuetudo, vel statutum alibi
receptum.

Porro Regulares, ob intermissam Horarum Canonica-
rum recitationem, ad restitutionem non teneri, cer-
tum apud omnes est; tum quia non sunt Beneficarii,
tum quia eleemosyna vel bona Ecclesiastica non
dantur cum hac intentione.

254. Pro complemento et coronide huius Capituli simul
et totius Tractatus nostri sequentes quaestiones
nobis sunt resolvendae. Igitur

Quaer. 1^o. An liceat prohibito mutare ritum officii
divini, scilicet ex duplici facere semiduplex, et vi-
cipsum?

Resp. Id vitia culpam venialem minime fieri pos-
se; quia habet rationem inobedientiae.

Quaer. 2^o. An peccet is, qui officio Canonico ali-
quid addit?

Resp. affirmative. Patet hoc ex saepe laudata
Bulla huiusmodi V. Nota tamen, id intelligendum esse
de tali additione, qua aliquid additur tanquam
pars officii divini; alios enim satis patet, ex usu
communis posse officio Canonico aliquid addi ad
majorem solemnitatem, puta musicam.

Quaer. 3^o. An Regulares teneantur ad festa uni-
versalia Diocesana.

Resp. affirmative. aliqui tamen ex Bulla
Gregorii XIII. deducere volunt, eos non teneri ad festa
Diocesana minus principalia; quia ibi solum expri-
mitur celebrandam esse à Regularibus festivitatem
Patroni Diocesis. Unde aiunt, ex Cap. Nonne. de
presumpt. qui unum ex pluribus affirmat, cetera
negare videtur. At verò eis opponi potest Regu-

gula Juris 48. in 6. §, qui tacet, non fatetur, sed nec
utique negare videtur.

137.

Aphorismi.

255.

- I. Clericus Beneficiatus ex culpa recitationem Brevia-
rii omittens, tenetur ad restitutionem pro rata omisso-
nis Horarum Canoniarum.
- II. Haec restitutio erit Sufficientis, unicuique denu-
m fiat, immo ad piam causam applicatur.
- III. Officio Canonico nec addere aliquid, nec eius ritum
mutare licet.
- IV. longe probabilius est, Regulares ad festa Diocesa-
na obligari.

Documentum.

256.

Haec est vera Dei Religio, haec vera pietas, haec Deo
debita servitus, hoc acceptabile Sacrificium, digna
Dei collaudatio, digna, inquam, ut, quod profertur
ore, versetur in corde. Ah! si hanc immensam
Majestatem in Splendoribus Sanctorum Sola fulgi-
diorem coram intueri mereverimur, quanta tunc re-
verentia, devotione, et attentione divina celebra-
remus Cantica. Ecce! quod non vides animosa fir-
mat, fides; Ubique enim credimus Divinam esse pra-
esentiam, inquit S. P. N. Benedictus c. 19. Reg. maxi-
me tamen hoc sine aliqua dubitatione credimus,
cum ad opus divinum assistimus. Subtrahit itaque
nobis Summa haec Majestas, fulgorem suum, ut fidei
nostra concedat meritum, non vero ut eum minus
presentem, aut minori reverentia dignum censea-
mus. Id probè noverat S. Bernardus; unde hos
hinc adhortabatur: Moneo vos, purè semper ac tre-
mè divinis interesse laudibus. Strenuè quidem, ut
sicut reverenter, ita et alacriter Domino assistatis:
non pigri, non somnolenti, non praevidentes
verba dimidia, non integra transilientes; non
factis et remissis vocibus muliebres quiddam bal-
bè de naribus sonantes, sed virili: ut dignum est:
et sonitu et affectu voces S. Spiritus deprecantes:
purè verò, ut nihil aliud, dum psallitis, quam quod
psallitis, cogitatis.... Spiritus enim Sanctus illa ho-
ra gratum non recipit, quidquid aliud, quam debet,

neglecto illo, quod debes, obtuleris. Ad haec meminere-
 mus, quod Religiosi legatione fungantur pro Ecclesia
 apud Deum, atque ab eâ electi sint, ut pro iis, qui in
 hujus vita malis gemunt, sollicitas ad Deum fundant pre-
 ces, ne à torrente malorum absorbeantur, neve illos
 prois à facie suâ ejiciat, sed potius ab arumis libe-
 ros, à peccatis solutos, et divina gratia rore abundè
 perfusos, tandem ad aeternum felicitatis portum per-
 ducat. En quàm sublime sit munus nostrum! quod
 profectò nobis magno incitamento esse debet, ut sacra
 Davidis, et aliorum Prophetarum cantica cum rigi-
 li pioque mentis affectu celebremus.

Finis.

